

**Dissertatio medica, inauguralis, de ictero : quam, annuente summo numine
: ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Gulielmi Robertson, S.S.T.P.
Academiae Edinburgenae Praefecti : nec non amplissimi senatus
academicici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro
gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus et privilegiis rite et
legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Joannes Murphy,
Hibernus.**

Contributors

Murphy, John, -1790.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, Academiae Typographos, MDCCLXXXIII
[1783]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xrhzuaax>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

D E

I C T E R O.

Q U A M,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit,

J O A N N E S M U R P H Y,

H I B E R N N U S,

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I:

Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIII.

ДИСКУСІЯ
ДЛЯ КОМАНД

ВІДПОВІДІ
ДЛЯ КОМАНД

Viro spectabili,

J A C O B O W A D D E L L,

A R M I G E R O,

De comitatu Down,

Quem omnes, quibus eum novisse contigerit,

Ob multas quibus in primis ornatus est virtutes,

Non plurimi non facere possunt;

Item,

J O A N N I M U R P H Y,

De eodem comitatu,

Patri suo dilectissimo,

D. D. C_o.

A U C T O R.

Nilo (beginning)

JACOB WADDELL

WRIGHT

D. comitiss. Powis

Genui omnes, dum quis eum novit, colligatur;

Opimii et doliarii primi omnes est amicorum;

Moribus nostris facias beneficium;

Secundus

YAHUANILLOV

D. eodem continuo

Tunc quo diligenter

D. D. G.

ASOTAV

D I S S E R T A T I O M E D I C A,

I N A U G U R A L I S,

D E

I C T E R O.

VIRIBUS meis parum confidens, et
admodum invitus aliquid, quod in
vulgus edendum, scribere aggredior. Cae-
terum legibus hujuscce Academiae celebris,
quae unumquemque, laureae Apollineae ap-
petentem, aliquod sui ingenii progressus-
que, quem arte in medica fecerit, specimen
in lucem emittere jubent, volens nolens
paream oportet.

Quod tractandum suscepi, id est Icterus,
morbus qui singularem et summam atten-

A

tionem

tionem meretur, propterea quod femet frequenter ostendit, et multis in exemplis, licet notitia ejus theoretica talis sit, qualis viam medendi, in quam debeat procedi, magna ex parte valeat monstrare, nullis, quae adhuc novimus, medicamentis potest depelli.

HISTORIA MORBI.

E symptomatis, quae in ictero se ostendunt, aliqua sunt, quae semper apparent, et igitur pro iis, quae ad morbum constitendum omnino necessaria, haberi possunt. Horum numerus non magnus. Eorum pleraque charactere sequente comprehenduntur, qui ab eo quem tradendum putaverit Cullenus, Nosophorus ille celeerrimus, non multum differt.

“ Flavedo cutis et oculorum; faeces plerumque albidae; urina obscure rubra, immissa colore luteo tingens.”

Flavedo

Flavedo prius in tunica oculorum albaginea et radicibus unguium, deinde brevi in tota corporis superficie, sese ostendit.

Alii auctores, quibus fides tuto haberi posse videtur, affirmant, alii, contra, negant, omnia, quae ob oculos complurium aegrotantium obversantur, colorem subvirdem flavumve habere.

Superficiem corporis, praesertim morbo provectione, plerumque afficit molestissimus pruritus.

Signis, quae primum morbum adesse testantur, annumerandae sunt mutationes, quas urina subit, insignes. Aliquando odorem violis proprium nonnihil reddentem, et semper colorem subfusco-rubrum flavumve sibi acquirit. Hoc substantias, quae facile tingi possunt, quales sunt panniculi linei vel lanei, praesertim si albi sint, impertitur. Quinetiam, sed plerumque morbo magis inveterato, saliva et omnes alii forsan humores secreti mutationes patiuntur. Saliva flavescit et amara evadit, quod in causa

causa est, cur aegrotus plerumque fapores a se invicem secernere nequeat.

Alvus praeter consuetudinem tarda est, et sterlus minus, quam solet, foetet, et speciem albidiā, quaedam argillae genera referentem, prae sese fert. Haec signa saepe comitantur acor ventriculi et aliae concoctionis depravatae notae. Symptomata vero modo comprehensa non se semper ostendunt, vel nonnunquam adeo modica sunt, ut vix notentur. Diarrhoea etiam biliosa, qua nihil illis magis contrarium esse potest, praesertim in pueris brevi post partum, morbum comitatur.

Ob hanc causam morbus, me judice, duas in species apte dividi potest. Et cum in una et altera a causis remotis admodum diverse agentibus proficiscatur, a divisione hujusmodi nonnihil commodi oriatur.

Praeter signa jam comprehensa, quorum pleraque constanter adsunt, alia non defunt, quae ea aliquando praecedunt et comitantur. Quae ex his saepissime apparent et attentionem maxime merentur, ea sequuntur,

sequuntur, viz. laffitudo, proclivitas ad somnum, qui parum reficit, quanquam vigilia nonnunquam invadit, spiritus difficilis, vomitus, fitis, calor auctus; pulsus arteriarum celeres, aliquando tardi; sensus tensionis et doloris in regione epigastrica dextrove hypochondrio, qui a cibo sumpto augetur, et nonnullis in exemplis obtusus est, in aliis admodum acutus; anxietas, delirium, et dextri humeri dolor.

Omnes hae notae non in unoquoque casu, sed plerumque plures paucioresve semet ostendunt. Interdum adeo violenter urgent, ut mortem inferant; sed plerumque decedunt, nullum hujusmodi effectum edentes, vel faltem non graviter infestant.

In iis exemplis, ubi dolor regionis hepatis subest acutus, rarius notatur, alia symptomata, postquam hic cessaverit, diu manere: Non citius plerumque decedunt. Dolor partium, si pressura affiantur, morbo inclinato, per spatium temporis non breve saepe restat. In casibus hujusmodi, aegrotus non raro vomit vel dejicit unum vel

plura

plura concretorum biliariorum, quae calculi vulgo appellantur, quae magnitudine, forma, colore, et textura variare confuerunt.

Non silentio praetereundum videtur, aliquoties fuisse notatum morbum, aliquanto bilis crassae et tenacis excreto, decessisse.

Flavedo gradatim magis magisque subfuscata evadit, donec tandem ad nigritiem magna ex parte accedat, quo tempore universa corporis substantia, ne quidem offibus ipsis exceptis, tincta esse reperitur, et morbus a specie, quam cutis prae se fert, nomen icteri nigri sibi adipiscitur. Morbus vero in iis exemplis solis, ubi eum fecerunt causae diurnae, vel ubi remedia idonea non tempestive fuerunt adhibita, eousque progreditur. Si increscere pergit, sanguinis e partibus corporis variis profusiones, affectus hydropici et spasmodici, et multa summae debilitatis habitusque corporis cachectici signa invadunt, et tandem mors ipsa accedit.

CAUSA

C A U S A P R O X I M A.

Omni tempore apud medicos fere omnes convenit fontem, unde signa hujusce morbi pathognomonica recta proficiscuntur, esse bilem in massa humorum circumcurrentium redundantem. Abundantia igitur bilis in humoribus circumcurrentibus, si hanc incidere possit demonstrari, pro causa morbi proxima habenda. Hanc autem existere, testantur causae remotae, unde facile deducitur, et signa praecipua, quae clare et evidenter exponit.

Quidam icterum infantum Cullenianum non bili in humoribus nimis abundant, sed meconio in sytema per absorptionem de vecto, tribuendum contendunt. Opinionem hoc, quod oculi flavescere non notantur, firmare laborant. Cujus ratio, illorum iudicio, est, quod meconium non aequa subtile et tenue ac bilis, et igitur ei in vasa oculi

oculi minima, per quae bilis sine ullo ob-
staculo transit, ingressus negatur.

Caeterum animus non parum inclinat,
ut eos, quantum ad observatum suum atti-
net, deceptos fuisse credam, cum a viro ce-
lebri, fideli, et experto *, acceperim, oculos
revera flavescere. Quinetiam, cum major
bilis tenuitas adhuc probanda restet, phae-
nomenon, si existeret, non iis, quae in me-
dium proferenda curaverint, rite expone-
retur.

Alii icterum infantilem mutationibus,
quas subeunt humores subcutanei, aëri ob-
jecti, temperiei caloris diversae, aliisque,
quibus pueri a partu necessario afficiuntur,
tribuunt.—Qui eum a bile profici sci cre-
dunt, illi his opinionem subruere, et suam
per sequentia suffulcire, conantur.

1. Flavedinem sub forma macularum eas
partes, quae aëri maxime objiciuntur, ut
faciem et manus, potissimum foedare.

2. Infantes

* Doctore Young.

2. Infantes admodum esse paucos qui non morbo affici soleant.

Nec unum, nec alterum horum accidere posse opinantur, si morbus a redundantia bilis in humoribus oriatur.

Quantum prius spectat, dici potest, exemplis in multis, flavedinem certas partes, velut faciem et pectus *, obsidere notari; humores, ob circuitum eorum et absorptionem constantem, vix ullo in loco adeo diu manere, ut quaslibet mutationes insig-nes, quod aëri externo objiciuntur, subeant, posse existimari; et maculas iis in casibus, ubi apparuerunt †, rubori cutis puerorum naturali forsitan, non morbo ipsi, referri debere.

Quantum ad posterius attinet, responderi potest, causas remotas, postea recensendas, in statu infantili constanter adesse, eosque pue-ros qui aëri, frigori, &c. libere objiciuntur,

B

non

* Van Swietenii Comment.

† Flavedinem sub forma macularum apparere, mihi roganti, negavit vir celebris art. Obstet. Professor Ha-milton.

non morbo gravius, quam eos qui aliter educuntur, conflictari solere.

Quae flavedo in febribus oritur, ea, multorum celebrium et gravium judicio, magis ab humoribus ad putredinem vergentibus, quam a bile in sanguinem diffusa, proficitur.

Rem ita fese habere minime nego; sed bilem ad flavedinem faciendam non parum conferre, me judice, testantur et color oculorum luteus, et res vera a Lindo celebri in dissertatiunculis suis de febribus relata.
 “Sanguine,” inquit, “in febri flava, aegroto enixe rogante, detracto, serum repertum est subamarum saporem habere,” quem a putridorum proprio admodum differre novimus.

C A U S Æ R E M O T Æ.

Secretionem bilis impeditam morbum facere quidam existimant. Haec opinio
 vero

vero theoria secretionis, cui fidem habent, ex toto innititur. Humores secretos in sanguine jam formatos, et in eundem diffusos, existere, et inde per singularem organorum secernentium ad hosce solos nulosque alios excernendos proclivitatem disjungi putant.

Si haec theoria autem sit vera, secretio bilis impedita morbum haud dubie movebit; si, contra, vero possit convelli, causa hujusmodi, utpote quae talem effectum edere nequeat, momento repudietur oportet.

Humores secretos in sanguine jam formatos existere improbabile,

1. Quod minima eorum vestigia, si urinam et inateriam perspirabilem excipias, non in sanguine, ne quidem in ea ejus parte, quae organa secernentia iis in exemplis, ubi, omnium fere judicio, aliquas ante secretionem mutationes subit, invisit, detegenda.

2. Quod, organis fecernentibus extirpatis vel ita morbidis redditis, ut functiones impediantur, humores, quos consueverunt fecernere,

fecernere, non in sanguine accumulari notantur, quod sine dubio incideret, si ibi ante existerent. Ita testes his animalibus, quae odorem a semine retento singularem sibi nancisci solent, exsecari possunt, et idem odor tantum abest ut augeatur, ut, contra, ex toto evanescat. Hepar porro schirrosum fieri potest, et icteri tamen nihil excitare. Longe aliud quidem multis in exemplis praefstat; modus vero quo agat postea expoenetur.

3. Quod probabile est humores a massa communi separatos mutari, vel, per actionem vasorum organorum fecernentium singularem, dotes sibi proprias adipisci. Namque, si alimenta animalium per concoctionem et sanguiferi systematis actionem rite parata sanguinem praebent, quid obstat quo minus sanguis per actionem organorum fecernentium singularem in humores singulis eorum proprios vertatur?

Hifce igitur rationibus inductus, concludo, secretionem bilis impeditam redundantiam ejusdem in humoribus circumueuntibus
nunquam

nunquam facere posse, quanquam in sententiam ex toto contrariam viri summi gravissimique concederunt; et omnibus in casibus esse necessarium, ut bilis, antequam ullum hujusmodi effectum possit edere, prius fecernatur, et deinde in sanguinem devehatur.

In causis reliquis remotis recensendis, utriusque speciei proprias separatim enumerare conveniet. Prius eas, quae, alvo dura et faecibus albidis stipatam, deinde eas, quae cum diarrhoea biliosa conjunctam faciunt, considerabo.

S P E C I E S P R I O R.

Cum flavedo steroris in statu naturali, et actio intestinorum in iis quae comprehendunt propellendis, a quantitate bilis in canalem alimentarium effusa aliqua ex parte pendeant, e signis huic speciei propriis concludere licet, descensum, huic humoris in intestina

intestina solitum, negari. Hoc autem revera incidere admodum probabile, cum cauſae remotae, mox recensendae, ad hoc faciendum plane accommodentur.

1. Concreta in ductibus ipsis ſubſiſtentia.
2. Bilis viſcida ductus obturans.
3. Viſcida in duodeno inhaerentia.
4. Ductuum ſpasmi.
5. Tumores hepatis partiumve vicinorum.

1. Concreta in ductibus ipsis ſubſiſtentia.— Cum multis in exemplis brevi antequam, vel dum alia ſymptomata evanefſunt, concreta ea, quae in vesica fellifera reperiuntur, omnino reddentia, descendant, cumque in ductibus ictero extinctorum inhaerentia non raro videantur, non ambigi potest, quin pro cauſa morbi remota debeant haberri.

Notandum ſupereft, haec omnibus aliis cauſis eſſe frequentiora, et complures morbi paroxysmos per idem concretum, etiamnum in ductibus inhaerens, vel in partes
quae

quae minorem diametrum habent decidens,
vel posituras sibi adipiscens, quae spatium,
per quod transeat, amplius desiderant, fieri
posse.

2. *Bilis viscida ductus obturans*.—Quod phaenomenon in historia fuit commemoratum, aegrotum nempe nonnihil crassae tenacisque bilis vomere vel dejicere, id causa fatis gravis est, cur hanc reliquis causis remotis annumerem. Vix tamen ponendum est eam morbum diuturnum posse creare.

3. *Viscida in duodeno inherentia*.—Haec causis remotis accensenda putavi, auctoritate viri celebris Swietenii innitens, qui memoriae prodit, se saepe notasse morbum in pueris, brevi post partum, dumve lactantur, a meconio coagulove lactis tenaci, decensui bilis in duodenum obfistente, oriri; et nonnunquam, in aetate provectioribus, per quantitatem muci eundem in modum agentis excitari.

4. *Duc-*

4. *Ductuum spasmi*.—Icterum nonnunquam in morbis spasmodicis, qui canalem alimentarium potissimum afficiunt, oriri negari nequit; utrum vero spasmi ductuum ipsorum morbo originem unquam necne praebeant, apud medicos multum fuit certatum.

Hanc litem, judicio meo, dirimere potest responsum quaestioni sequenti redditum.

Ductusne biliferi fibras musculares habent?

Si autem fibris muscularibus destituantur, nulli in iis spasmi possunt oriri; si vero, contra, quod magis probabile, fibrae hujuscemodi illis insint, nihil obstat quo minus spasmi existant, qui, si satis magni et diuturni evadunt, morbum haud dubie facient.

Caeterum, a quibus causis queant proficiisci, vel utrum necne pro frequentibus debeant haberi, non pro certo audeo affirmare.

Eos a morsibus venenatorum animalium oriri posse contenderunt nonnulli auctores;
propterea

propterea quod hos aliquot icteri notae saepe subsequuntur. Has causas morbum hoc modo aliquando facere posse negare non audeo, quoniam eas non raro sequuntur effectus, qui, si non semet ostenderent, incredibiles forent. Caeterum observationes accuratae effectum plerisque in exemplis omnino diversum esse testantur.

Motus animi subitaneos eundem effectum edidisse ferunt. Cum causas hujusmodi rarius excipient tales sequelae, admodum probabile est morbum tantum in iis facere, qui ad eum proclivitatem habent, quibusve concreta in vesicula fellis inhaerent, affectionibus animi in modum causarum excitantium agentibus, et vel agitatione corporis quam faciunt concretum e vesicula fellis inductus repellentibus, vel iisdem jam impactum in partes, quae minorem diametrum habent, propellentibus.

5. *Tumores hepatis viscerumque vicinorum.*—Incisiones cadaverum propemodum innumerae evidens perspicuumque reddunt,

morbū a causis hoc genus frequenter ori-
ri. Hujus vero loci est magna earum va-
rietas.

1. Schirrus hepatis. Eodem modo, quo
reliquae caufae remotae, aliquando agit.
Quae conjectura hunc per secretionem bi-
lis impeditam morbum facere ponit, ea su-
pra fuit considerata et refutata.

2. Tumores omenti, pancreatis, glandu-
larum capsulae Glissonii, vel etiam ductus
ipsius, &c.

3. Inflammatio hepatis. Haec causis
icteri remotis fuit annumerata. Cum vero
haec saepe existat, morbumque non move-
at, non improbare est inflammationem
multis in exemplis, ubi semet ostendit, tan-
tum symptomaticam esse, et ab irritatione et
distensione ductuum pendere. Quanquam
minime negandum est inflammationem,
cum superficiem concavam prope ductus
tenet, per auctam molem, quae omnibus in-
flammationibus communis, ductum com-
primentem, morbum haud dubie excitare
posse.

4. Graviditas, praesertim provectionis.
Cum uterus tantam sibi molem adipiscitur,
et tam alte ascendit, ut hepar pressura affi-
ciat, icterus saepe accedit, et a partu sponte
decedit.

5. Faeces in colo infra hepar collectae.
Has morbum creare ferunt nonnulli fide
non indigni; quoniam, his excretis, brevi
tollitur, dum nullae aliae causae suspectae
poterant haberi.

Bilis per quamlibet harum causarum per
ductus, qui eam sponte naturae excernunt,
descendere impedita, dum secerni pergit,
necessario in vesicula et ductibus accumu-
latur, per lymphatica inde orta absorbetur,
et per ea in sanguinem devehitur.

Nonnulli bilem non per lymphatica in
sanguinem transfire, sed per eadem vasa,
unde fuerat secreta, regurgitare conten-
dunt.

Qui theoriae regurgitationis faverunt, ii
numero admodum decreverunt, ex quo
doctrina absorptionis ab illo anatomico ac-
curato

curato et physiologo excellentissimo Dr Monro fuit publice tradita.

Qui bilem regurgitare credunt, ii opinionem suam hisce duobus argumentis potissimum firmare conantur.

1. Quod liquores e ductibus biliferis in venam cavam injici possunt.

2. Quod bilis est humor adeo viscidus, ut a vasis, quae diametrum aequum exiguam, ac lymphatica, habent, nequeat absorberi.

Quantum prius spectat, liquores etiam tenuissimi e ductibus biliferis venam in cavam, etiam in cadavere, ubi omnia magnopere sunt relaxata, difficillime propelluntur. Et insuper Monroius celeberrimus affirmare non dubitat, hoc nunquam fieri posse, nisi vasa lacerantur, et ita communicationes praeter naturam fibi adipiscuntur.

Quod ad alterum attinet, ei objici potest, semen, quod multo magis viscidum est, ea quantitate absorberi, ut per dotes suas in reliquis humoribus detegi plane queat.

His vero, quae postulantur, in momentum concessis, quod sequitur non facile potest refelli.

Cum motus humorum omnino passivis sint, et ab actione vasorum suorum pendent, ductuum bilem deducentium proprius, quo regurgitatio fiat, invertatur, et in eostatu per totum morbi decursum maneat necesse est. Quod si incideret, supplementum bilis ad morbum faciendum et continuandum omnino necessarium deficeret; namque, actione vasorum inversa, nulli humores in ea, ut in bilem verterentur, ingredi possent. Praeterea, cum in ictero quantitas bilis non parva per excernentia diversa e corpore constanter expellatur, spatio temporis non admodum longo e corpore ex toto elueretur, et morbus tolleretur, causis unde fuerat ortus agere pergentibus.

Quod vero summam theoriae absorptio-
nis fidem conciliare videtur, id est experi-
mentum a Doctore Monroio institutum.
Ductum communem choledochum ligavit,
et

et brevi postea animal ictero fuit correptum, et liquor e vasculis lymphaticis caute apertis exemptus, et examinatus, bile tinctus esse repertus.

Cum ductus hepato-cysticus rationes ob graves existere negetur, nullus icteri casus, nisi ductu hepatico vel communi obturato, incidere potest.

Aliquid vero amplius, quam ductuum biliferorum obstructio ad morbum movendum necessarium esse videtur. Cum enim plus bilis in vesicula et ductibus semper comprehendatur, quam lymphatica inde orta possunt absorbere, nihil obstare videntur, quominus ictero mortales semper objiciantur. Hoc igitur non improbabile videntur, quanquam nulla alia praeter ea, quae jam comprehenderim, argumenta proferre possum opinionis hujusmodi firmandae, ductus extremos per vim distensionis aliqua ex parte lacerari, et liquores quos vident effundi, unde bilis majoris lymphaticorum numeri ostiis admovebitur, et igitur copiosius absorbebitur.

S P E C I E S

S P E C I E S P O S T E R I O R.

E phaenomenis huic speciei propriis, et cadaverum incisionibus, tuto concludere licet, bilem nimia quantitate in canalem alimentarium effundi. Cum vero quantitates tantae profundantur, quantae in vesicula fellis comprehensae fuisse nequeant poni, admodum probabile est, immo certum, secretionem ejus magnopere augeri. Aliquantum bilis hoc modo in canalem alimentarium effusae per vasa lactea absorbeatur, in sanguinem devehitur, et ita morbum excitat.

In ea, quae hanc secretionem bilis nimis copiosam faciunt, quaeque pro causis morbi remotis sunt habenda, proximum est ut inquiramus.

Causae autem secretionis nimis aductae sunt, vel irritabilitas organorum secernentium

tium praeter consuetudinem magna, vel stimuli iisdem admoti. Unde cogi potest, causas hujusce icteri speciei remotas esse sequentes.

1. *Nimiam irritabilitatem.*
2. *Stimulos organis bilem praeparantibus admotos.*

1. *Nimiam irritabilitatem.*—Haec nihil aliud praestare videtur, quam ad morbum mortales proclives efficere; quoniam, nisi classe secunda causarum, quae excitantes appellari possunt, ei adjuncta, morbum movere nequit.

Irritabilitatem vero summam in iis, qui hanc ad morbi speciem maxime sunt proni, in incolis, exempli gratia, plagarum calidorum, et pueris recens natis, semet ostendere innumera phaenomena clare evidenterque testantur.

2. *Stimulos organis bilem praeparantibus admotos.*—Secretio bilis adaucta in febribus, quae apud regiones calidores invadunt,
per

per impetum sanguinis nimium hepar ver-
sus factum excitari videtur. Cum vero hoc
phaenomenon ab illustrissimo Culleno opti-
me fuerit expositum, verba ejus, quam mea,
adhibere satius duco. ‘ For as, in the state
‘ of debility and cold stage of these fevers,
‘ the blood is not propelled in the usual
‘ quantity into the extreme vessels, and par-
‘ ticularly into those on the surface of the
‘ body, but is accumulated in the vessels of
‘ the internal parts, and particularly in the
‘ vena portarum ; so this may occasion a
‘ more copious secretion of bile. These
‘ considerations will, in some measure, ac-
‘ count for an unusual quantity of bile in
‘ intermittent fevers ; but the circumstance
‘ which chiefly occasions the appearance of
‘ bile in these cases, is the influence of
‘ warm climates and seasons. These sel-
‘ dom fail to produce a state of the human
‘ body, in which the bile is disposed to pass
‘ off, by its secretaries, in greater quantity
‘ than usual.’

In infantibus et nonnunquam in adultis, morbum facere videntur acria ductibus, vel canali alimentario, applicata. Et illi et hic in infantibus affici videntur. Namque bilis sub partum speciem sibi propriam acquirere incipit, et dotibus, quae ei insunt, ductus stimulat, dum canalis alimentarius interea a contentis suis irritatur.

Irritatio canalis alimentarii sola morbum nonnunquam progeneravit. Hujus luculentum, in casu quodam a Doctore M'Lurg, in dissertatione sua de bile relato, exemplum habemus. Vir nempe generosus redundante bilis fuit opportunus. Quoties vero emeticum sumpsit, toties omnino flavus evasit.

RATIO SYMPTOMATUM.

Flavedo oculorum, cutis, et substantiae corporis, et mutationes quas subeunt humores secreti, a bile in sanguine redundant

te

te proficiscuntur. Cutis et oculorum flavedo hinc explicatur, quod bilis color per parietes vasculorum cutis, quae aliqua ex parte sunt pellucida; facile apparet; et substantiae corporis hinc, quod particulae biliosae, detrimenti quod corpus capit pensandi, vel aliarum, quae absorptae damptaeve fuerunt, supplendi ibi deponuntur. In oculis et radicibus unguium maturius, quam in aliis locis, semet ostendit, quod eorum albedo, ut in conspectum facilius detur, evidentissime facit, non quod morbus ullam ad hasce partes magis, quam alias, afficiendas singularem proclivitatem habet.

Vifus imminutus, si revera unquam adfit, a flavedine tunicarum, et forsitan humorum oculorum, potest oriri; namque objecta plerumque, per media colorata conspecta, ejusdem coloris, cuius corpora, per quae lux transit, esse reperiuntur.

A bile vasa irritante summo jure deduci possunt pruritus, sensusve superficiei corporis molestus, et affectus spasmodici.

Quas

Quas mutationes humores secreti subeunt, eae à quantitate bilis una cum iis excretæ plane pendent.

Cum nihil, quod non prius saliva humectetur, gustui possit objici, quo res a se invicem accuratius fecernamus, natura hoc fluidum propemodum insipidum creandum sapienter curavit. In ictero autem, cum saliva amara evadit, faciet ut nec impresiones magis debiles, quam eam ab ipsa editam, sentire; nec validiores inter se distinguerem possumus.

Albedo steroris, alvus tarda, et diarrhoea biliosa, supra fuerunt comprehensa et explicata; nunc igitur restat, ut causas symptomatum concoctionis imminutæ, et odoris steroris minus foetidi, exponere aggrediamur. Alimentum e ventriculo in intestina effusum acidum continet, quod per bilem deletur, vel faltem iners efficitur. Cum vero bilis in intestina non amplius descendit, hoc acidum manet actuosum, et cum omnia acida antiseptica sint, ea, quae intestinis

nis continentur, multo tardius, quam in statu naturali, putrefcent.

Ab irritatione vel inflammatione ductuum per concreta et caetera distensorum proficisci possunt symptomata febrilia, qualia sunt spiritus difficilis, sitis, calor auctus, pulsus arteriarum celeres, vigilia, anxietas, delirium, et dextri humeri dolor.

Consensui et actioni virium naturae medicatricium referendae sunt laffitudo, proclivitas ad somnum, tarditas ictuum arteriarum, nausea, et vomitus.

D I A G N O S I S.

Duo tantum sunt morbi, quibuscum icterus ullo tempore potest confundi, chlorosis nempe, et flavedo morbum animalium venenatorum excipiens.

A chlorosi facile potest distingui, si homines, in quos uterque morbus soleat invadere,

vadere, phaenomena comitantia et signorum progressum rite consideres.

Chlorosis puellas solas, quibus nondum multum aetatis accessit, mensibus retentis laborantes afficere solet, et magna relaxatione, torpore, et debilitate stipatur; icterus vero limitibus tam angustis minime circumscribitur. In hoc oculi primum affici notantur; in illa vero, si flavescant, hoc, nisi cute evidenter prius tincta, non incidit.

A flavedine per morsus animalium venenatorum facta potest secerni icterus, et notitia infortunii, cui aegrotus nuper fuit objectus, et progressu signorum.

Cum flavedo morsum hujusmodi subsequitur, circa margines vulneris primum se se ostendit, deinde in reliquum corpus diffunditur. De progressu flavedinis vero, quae in ictero accedit, satis supra jam dictum. Praeter hoc, mutationes status alvini et secretionum, quae icterum nunquam non comitantur, in flavedine, vel morbo animalium morsus excipiente, incidere non periuntur.

Causae autem remotae, plerisque in exemplis, a se invicem possunt secerni, si rite considerentur phaenomena comitantia, et characteres specierum, in quas morbus a Culleno illustrissimo est divisus, subsequentes.

“ 1. Icterus (*calculosus*) cum dolore in regione epigastrica acuto, post pastum aucto, et cum dejectione concretionum biliofarum.

“ 2. Icterus (*spasmodicus*) sine dolore post morbos spasmodicos et pathemata mentis.

“ 3. Icterus (*hepaticus*) sine dolore post morbos hepatis.

“ 4. Icterus (*gravidarum*) sub graviditate oriens, et post partum abiens.

“ 5. Icterus (*infantum*) in infantibus haud diu post natales oriens.”

P R O G N O S I S.

Eventus icteri a notitia causarum, quae morbum fecerint, remotarum, et spatio temporis, per quod signa jam manferunt, fatis certo deduci potest. Exitus infaustus in iis casibus solis, qui a causis fixis et diuturnis proficiscuntur, vel cum morbus jam inveteravit, metuendus. Quoniam morbus, rebus se aliter habentibus, vel sponte, vel remediis idoneis adhibitis, decedere confuevit.

R A T I O M E D E N D I.

Consilia ictero medendi sunt duo:

1. Symptomata levare.
2. Causas remotas tollere.

1. *Symp-*

1. *Symptomata levare.*—Si dolor regionis hepatis et aliae inflammationis notae accedant, antequam ad ulla remediorum sub consilio secundo comprehensorum decurri debet, aliquantum sanguinis, pro ratione aetatis viriumque aegroti, et pro gravitate signorum, detrahere, et regimen antiphlogisticum stricte adhibere, conveniet.

Reliqua symptomata duobus modis levari possunt, et tantum bilis, quantum fieri potest, e corpore expellendo, et absentiam ejusdem in canali alimentario supplendo.

Illud praefstat secretiones, ut perspiracionem et urinam, praefertim hanc, utpote quae bile evidentius tingatur, augere. Huic consilio autem maxime accommodantur mera diluentia iis qui aegrotos ad urinam excernendam prinos efficiunt, ut ambulationi sub dio, et similibus, adjuncta.

Absentiae bilis pensanda, et concoctioni inde ortae occurrenti, amara et aromata diversa fuerunt adhibita, qualia sunt absinthium, canella alba, cortex Peruvianus, et caetera. Caeterum haec remedia frequen-

ter reiterata, ut ea constanter adhibere necesse sit, et, si ullo tempore omittantur, ut mala ipsa ingravescant facere periclitantur.

In duritiem alvinam posse dicuntur varia remedia, qualia sunt purgantia salina, bilis animalium inspissata, sapo, aloëtica, &c. Cum vero haec remedia non aliter, quam intestina deplendo, prodeesse videantur, ad ea potius, quae sistema minus, quam reliqua, stimulant, quaeque minus necessarium, ut frequenter adhibeantur, efficiunt, qualia sunt aloëtica, confugi debere opinor.

In ea morbi specie, quam secretio bilis nimis copiosa facit, signa efficacius possumus levare, absorptionem bilis per usum medicamentorum laxantium praecavendo, et, si ulla ad evomendum proclivitas semet ostendat, contenta e ventriculo per haustus alicujus blandi liquoris, ut aquae calidae, infusorumve theae, eluendo.

2. Causas remotas tollere.—Cum ea, quae huic consilio respondeant, pro natura causarum

farum remotarum diversa varient, remedia ad singulas earum tollendas accommodata separatim considerare non erit alienum.

I. *Concreta*.—Consilio haec tollendi duo respondere videntur, vel ea in ductibus inherentia dissolvere, vel in canalem alimentarium depellere.

Illud praestare posse dicta fuerunt remedia varia, ut succus graminis, dens leonis, chicoreum, et aliae hoc genus plantae, et spiritus vinosus oleo terebinthinae vel aliis essentialibus adjunctus.

In hanc opinionem iverunt viri magni et graves. Caeterum a chemicis experimentis deducta hoc in exemplo votis minime respondebunt. Et jure nequit putari, hasce substantias mutationes diversas passas, quas illis inferunt concoctio, secretio, &c. ad locum, cui destinantur, dotibus immutatis, et ea quantitate, ut concreta ulla ex parte dissolvere valeant, posse pervenire. Medici igitur, quod hoc consilium longum temporis spatium desiderat, et quod omnia hujusmodi

modi remedia spem ad extremum frustrare confueverunt, eo neglecto, ad alterum prudenter decurrunt, quod est, concreta in canalem alimentarium depellere.

Ex omnibus remediis, quae huic consilio accommodari existimantur, nulla frequenter aut efficacius, ut expertissimi medici judicant, adhibentur, quam emetica et cathartica, praesertim priora.

Horum autem medicamentorum actio ex toto mechanica est, aut effectus suos agitatione corporis, quam faciunt, edere videntur. Uſus tamen emeticorum et purgantium draſticorum non parum anceps; quoniam morbum, vel inflammationem movendo, vel concretum in ductibus firmius figendo, graviorem reddere possunt. Huic consilio quoque respondet acris exercitatio, ut equitatio, saltatio, &c. quae eodem modo agit, et cui eadem objici possunt.

Cum haec remedia sunt adhibenda, eodem tempore ductus uſu opii, sanguinis missione, fomentis, balneo calido, relaxare conandum,

conandum, unde efficaciora et tutiora redentur.

Haec a viris judicio satis acri nociva et aliena esse dicuntur, cum aliquoties sine successu prospero fuerunt tentata.

2. & 3. *Bilem viscidam in ductibus, et viscida in duodeno, inherentia.*—Cum haec omnino remedia, quae priora, postulent, nihil amplius addi potest, praeterquam quod adeo potentia non opus sunt.

4. *Spasmi.*—Quae medicamenta hos tollendi causa adhibentur, ea sunt eadem, quae in spasmos alias corporis partes invadentes posse existimantur, quaeque vulgo antispasmodica appellantur, qualia sunt opium, moschus, camphora, fomenta, balneum calidum, &c. Quanam vero ratione effectus suos edant, cum actio eorum tanta obscuritate implicetur, exponere conari non audeo.

5. *Tumor-*

5. *Tumores*.—Hos, cum diuturni sunt, discutiendi causa, ut ad remedia varia confugiatur suadent viri docti; nullum vero medicamentum, in quo multum fiduciae possit collocari, adhuc repertum. Quae in usu maxime communi sunt, ea sequuntur, viz. mercurius, tremor tartari, cicuta, &c. Horum periculum fieri potest; namque nullo in casu, ubi vita aegrotantis in periculo versatur, repudiandum est remedium anceps.

Cum inflammatio hepatis est icteri causa remota, eodem modo, ac si accessisset sola, tollenda.

Cum graviditas morbum excitat, exclusio foetus matura patienter expectanda. Nihil aliud facere possumus, quam signa levare.

Quae ad faeces in colo collectas evacuandas accommodantur, ea satis manifesta et clara.

Reliquae causae remotae vel hujus loci non sunt, vel parum attentionis merentur, quoniam effectus earum spatio non longo sponte evanescunt.



